



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 36. De Ascensu in Templum anno duodecimo. Myst. punct 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO XXXVI.

De Ascensu in Templum anno duodecimo.

Luc. 2. Myst. punct. I.

CONG. Ut ante dictum, quod simul atque excitor à somno, meditationem proximè instantem de beo menti objicere, ac desiderium provocare cognoscendi clarius incarnati aeterni verbi, ut ipsi serviam, & adhærescam tanto propensiùs, quanto incredibiliorem, erga me bonitatem ejus perspexero.

PRÆL. I. Natus JESUS annos duodecim, è Nazareth profectus est Hierosolymam.

PRÆL. II. Iter illud sibi imaginari.

PRÆL. III. Petere gratiam Christum imitandi, diligenter exercendo virtutes Religionis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Christum duodennem, cum B. Virgine, & Josepho tendentem Jerosolymam.

INTEL. Consideremus in singulis spiritum, & virtutem Religionis, per quam interior, & exterior cultus Deo exhibetur. REFL. Inspiciamus qualis in nobis sit Religionis virtus interior, & exterior.

VOL. Aspiremus ad hanc virtutem, quia per illam maximè laudamus, & reveremur Deum, ad quod ex fine creationis nostræ obligamur. Imploremus deinde gratiam istius virtutis; & statuamus diligenter eidem studere.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum cum Matre, & B. Josepho in viâ loquenter.

INTEL. Non est dubitandum, quin de virtute Religionis, de reverentiâ, & cultu Deo personando multa dixerint: ac in primis illud: *Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nominis tuo.* Ps. 137. REFL. Optandum esset, ut nostra colloquia sint de simili arguento.

VOL. Doleamus de iniutilibus colloquiis, conemurque apud omnes inserere quædam quæ moveant ad cultum Dei, dum colloquimur.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam, &c. Luc. 2.

INTEL. Notant interpres Archelaum à Cæsare eo anno propter crudelitatem pulsum in exilium. Cœterum Christus non tenebatur à legi Exod. 23. & Deuter. 16. quæ jubebat, ut Viri te in anno adirent tabernaculum, vel templum quia erat Dominus legis. Voluit tamen ire, ut nōb̄is præberet exemplum obediendi in illis, quæ spectant ad cultum Dei. REFL. Videamus quomodo nos in illis obediamus, juxta statum nostrum.

VOL. Gratias agamus pro tantâ bonitate & curâ erga nos, quâ Christus nos instruxit exemplo, ab ipsâ juventute. Amemus tam amantem nostri Magistrum, & studeamus illum imitari.

COLLOQ. Ad Christum, petendo gratiam
proximè illum in illis sequendi. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXVII.

De Ascensu in Templum anno duodecimo.

Luc. 2. Myst. punct. 2.

CONG. Per totam secundam hebdomadam ea-
dem, quæ in priori Meditatione.

PRÆL. I. Quomodo JESUS remanserit in Je-
rusalem insciis Parentibus.

PRÆL. II. Videre Templum Jerosolymis ad
quod Christus ibat.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut Christum ab
ipsâ adolescentia imitari possim : vel si id negle-
ctum sit tempus, ut nunc tantò perfectiori imita-
tione id possim compensare.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Chri-
stum duodennem, sine Parentibus in Jerusa-
lem.

INTEL. Perpendamus & consideremus eum
initium dedisse illi statui, quem posteà descriptis.
Matth. 19. *Qui reliquerit . . . Patrem aut Ma-
trem, &c.* Atque ita exhibuit se exemplum status
secundi, qui est evangelicæ perfectionis. REFL.
Si nos reliquerimus ejus exemplo Patrem aut
Matrem: inquiramus, an etiam animo & mente
ac affectu eos reliquerimus juxtâ Reg. 8. Summ.